

## Text 6

Caecilii diem lustricum celebrant: puella parva nomen et bullam accipit.

Servae cenam parant et imagines in atrio collocant. Tum flores apportant et aram ornant; pulchritudo arae familiam delectat.

Iam multi convivae veniunt, quod filiam Gai Caecilii Iuliaeque Sabinae videre et diem lustricum celebrare cupiunt. Etiam Marcus et Spurius veniunt.

Gaius Caecilius Metellus cunctos salutatur et in atrium ducit. Ibi Iulia Sabina domina convivas salutatur; Quintus autem statim ad Marcum Spuriumque amicos currit.

Tandem cuncti convivae adsunt. Nunc Crispina serva puellam parvam apportat. Convivae faciem puellae spectant et gaudent. Tum servus agnellam adducit, pater ad aram accedit et sacrificium facit.

Iam convivae familiaeque magnam vocem patris audiunt:

„O di penates,

ad aram vestram accedo, accipite sacrificium nostrum, audite verba mea.

Et tu, o Iuno, magna dea caeli, magna dea vitae, magna dea diei lustrici, audi verba mea.

Tu lumen vitae das, tu pueros puellasque ubique servas.

Hic nostram filiam parvam vides.

O Iuno, te oramus:

Accipe sacrificium,

serva nostram filiam parvam: Caeciliam Minorem.”

Postea mater orat:

„O Iuno, magna dea, te vocamus.

Tu custos familiarum es, tu custos uxorum es, tu custos filiorum es, tu custos filiarum es, tu custos rerum nostrarum es.

O Iuno, magna dea, te vocamus.

Parentes pleni spei sunt, nam auxilium tuum sperant.

Tu spem parentum non fallis, tu spem salutis non fallis.

O Iuno, magna dea, te celebramus.”

Nunc Caecilia Minor dona sua accipit. Soror ea apportat et ad lectum eius collocat. Etiam Marcus et Spurius accedunt: donum eorum est manus nucum. Mater crepitaculum parvum monstrat; cuncti tinnitum eius audiunt. Tandem Quintus bullam sororis apportat. Quod convivae amuletum spectare cupiunt, Quintus bullam eius aperit et amuletum monstrat. Puella parva bullam suam tangit, amuletum suum conspicit - et ridet. Tum cuncti gaudent, nam omen secundum est.